

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis secundi - Fasciculus primus): Vol. II.

London, 1813

Seite 101

TETRANDRIA MONOGYNIA.

25

Radix simplex, fibrosa, annua. *Caulis* plures, basi subramosi, supernè simplices, spithamæi, patentes vel diffusi, foliosi, tetragoni, angulis acutis, spinuloso-scabris, aculeis aduncis. *Folia* sena, unguicularia, patentia, elliptico-lanceolata, obtusiuscula, mucronulata, utrinque glabra, margine aculeata, subrevoluta, aculeis omnibus antrorsùm spectantibus. *Pedunculi* axillares, oppositi, haud foliorum longitudine, aculeis aduncis asperi, trifidi, triflori, ebracteati. *Flores* parvi, ochroleuci; laterales divaricato-cernui, masculi, pistillo omninò nullo; centralis hermaphroditicus, robustior. *Calyx* nullus. *Corolla* planiuscula, laciniis ovatis, acutiusculis, muticis. *Stamina* corollà triplò breviora, curvata. *Antheræ* subrotundæ, ochroleucæ. *Germen* subrotundum, rugosum. *Stylus* bipartitus, divaricatus. *Fructus* didymus, in hoc genere ferè maximus, tuberculis pyramidatis, suberosis, obtusis, copiosissimis, undique muricatus.

Hanc speciem, (foliorum margine antrorsùm, nec retrorsùm, aculeato, fructu magno, tuberculato, nutante, certè distinctam,) tanquam *Galii tricornis* Fl. Brit. 176. Engl. Bot. t. 1641, varietatem, levitèr attingit celeberrimus Hallerus in Hist. Stirp. Helvet. v. 1. 319, sub numero 725. Locum sibi nunc jure vindicat in Florà Helveticà, ut et Scoticà, cum *Galio spurio* Linn. Sp. Pl. 154. Engl. Bot. t. 1871.

A. Pedunculus auctus, cum floribus tribus, quorum laterales, masculi, nondum expansi sunt.

B. Flos masculus.

c. Fructus maturus, magnitudine naturali.

*** *Fructu (sæpiùs) hispido.*

TABULA 134.

GALIUM FLORIBUNDUM.

GALIUM foliis suboctonis linearibus deflexis scabriusculis, caule divaricato lævi, pedicellis capillaribus, corollà aristatà.

In insulà Cypro. ☉.

Radix simplex, fibrosa, annua. *Caulis* spithamæus, ramosissimus, foliosus, quadrangulus, fusco-purpurascens, nitidus, lævis, angulis tantùm, in parte inferiori, tactu scabriusculis; supernè patens atque divaricatus, paniculatus, multiflorus. *Folia* plerumque octona, apicem caulis versùs septena, vel sena, semiuncialia, patentissima, plùs minùs deflexa, paululùm recurva, linearia, revoluta, mucronulata, scabriuscula, saturatè viridia, demùm fusciscentia. *Paniculae* terminales, copiosissimæ,

VOL. II.

II